



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses**

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorum Evangelicorum D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In Sacrosanctum Euangelium secundùm Ioannem

**Stapleton, Thomas**

**Lvgdvni, 1595**

Cap. 15.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39480**

Spiritui  
sancto Cal-  
uinus com-  
pedes inji-  
cit.

docet omnem veritatem, adeoque ea quæ Christus non docuit, multò latius eius officium patet quàm vt Euangelij doctrinam quasi subscriptor confirmet. Ausus fuit Calvinus ipsi Spiritui sancto compedes iniicere, eiusque officium ac munus certis limitibus à se inuentis constringere. Quid nùc miramur si toti Ecclesiæ compedes iniiciat, eiusque doctrinam ad certos fines à se suisque adiuuentos cõstringit? Hæc huius impostoris venenata doctrina est, qua diuinæ Scripturæ fluentia purissima contaminauit.

## IN IOANNIS CAP. XV.

2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet Pater meus.*

Bonorum  
operum ne-  
cessitas ad  
salutem.

**L** O e v s hic insignis ac perspicuus est pro bonorum operum necessitate in quolibet credente. Palmes in Christo, id est, Christo veræ vitæ inhærens non est, nisi qui iam per fidem Christo vnitus est. Incorporamur Christo per baptismum, qui est Sacramentum fidei. *Omnem palmitem in me*, ait Christus, id est, omnem hominem mihi iam per fidem nominis mei insitum & incorporatum. Rursum nisi iam per fidem insitus & vnitus Christo esset, de quo loquitur, dici non posset, *tollet eum*. Neque enim tollitur aut refecatur à vite vllus palmes, nisi qui iam prius in vite erat. Dicit autem Christus, omnem huiusmodi palmitem iam ipsi per fidem vnitum, insitum, & incorporatum, *non ferentem fructum*, iustitiæ videlicet ac sanctitatis, *tollet eum Pater meus*, id est, illum à meo corpore separabit, & ponet sortem eius cum impiis. Est igitur cuiuslibet in Christum credenti, vt in Christo maneat, fructus bonorum operum necessarius, nec absque illo fructu fides saluare potest. *Qui enim à Christo tollitur* (vt infra Christus dicit) *mittitur foras, arefcit, in ignem mittitur, & ardet*. Annotauit ex his verbis doctrinam hanc optimus huius Euangelij interpretes Cyrillus Alexandrinus. *Qui* (inquit) *per fidem Christo solummodo coniunguntur, sola illi confessione inherentes, nec charitatis vimne se colligantes, palmites quidem sunt, sed non fructuosi. Nam fides absque operibus mortua quadam res est.* Sic & hanc parabolam exposuit Basilus, elegantissimè docens quot modis humana anima quasi palmes in vite fru-  
ctificare debeat.

Lib. 10. c.  
14. in Ioã.

Homil. 5.  
exameron.

Docet

Docet præterea hic locus fidem esse posse sine charitate, *Fides esse*  
 palmitem in vite sine fructu. Alioqui de palmitem non ferente *poteft sine*  
 fructum differere Christus non potuiffet. Quorsum enim de *charitate.*  
 rollendo palmitem infrugifero comminatur Christus, si nul-  
 lus palmes infrugiferus est? si nullus Christo per fidem ad-  
 hæret, qui fructum non faciat?

Calvinus hoc istud ipsum aduertens, & paradoxum suum  
 de fide semper fructuosa his verbis labefactari cernens, mo-  
 uet ea de re quæstionem. *Sed quaritur (inquit) an fructu pos-*  
*fit carere qui in Christo insitus est.* Audiamus nunc quid re-  
 spondeat ut suum paradoxum tueatur. *Respondeo (inquit)*  
*multos in vite censei opinione hominum, qui reipsa radicem*  
*in vite non habent.* Aduerte, lector, quomodo Christi para- *Christi pa-*  
 bolam mendacij arguat, ut suo paradoxo succurrat. *rabolam*  
 Quum *Calvinus*  
 enim Christus dixerit, *Omnem palmitem in me, id est, qui*  
 verè mihi ut viti vnitus & insitus est; contradicit Calvinus, *mendacij*  
 & ait huiusmodi palmites non ferentes fructus, non esse in  
 Christo re vera, nec radicem in Christo reipsa habere, sed  
 tantum opinione hominum. Sic quod Christus dixit, *tollet*  
*eum Pater meus*, falsum esse, ait Calvinus. Non enim verè  
 tollitur, sed opinione tantum hominum tolli videtur. Si  
 enim reipsa radicem in vite nunquam habuit; ab ipsa vite  
 reipsa tolli & refecari non potuit. Sic Calvinus, sic alij hæ- *Scripturæ*  
 retici Scripturam reuerentur. Eam potius mendacem fa- *hæretici*  
 ciunt, quam à suis nouis conceptis & portentosis dogmati- *quomodo*  
 bus vel larum vnguem recedant. *reuerentur.*

Sed contradictionem & mendacium suum etiam ex Scri-  
 pturis Calvinus probare vult. Non est dissimulandum quod  
 adfert. *Ita (inquit) Dominus vineam suam nominat apud* *Calvini*  
*Prophetas Israel, qui externa professione nomen Ecclesia habe-* *probatio*  
*bat.* Atqui hæc probatio nulla est. Quæ enim hæc conse- *friuola.*  
 quentia est? Vocantur aliquando vinea Domini qui externa  
 professione nomen Synagogæ habebat: ergo hoc loco quum  
 Christus palmites nominat *in se manentes, & à se tollendos*  
 si fructum non faciunt, non alia ratione vocantur palmites  
 quam quia externa professione & hominum opinione tales  
 sunt? Sanè huic similis consequentia est: Apostolus in illis  
 verbis, *In magna domo non solum sunt vasa aurea & argen-* *2. Tim. 2.*  
*tea, sed & lignea & fictilia, & quaedam quidem in honorem,*  
*quædam in contumeliam,* de quibusdam loquitur, qui externa  
 tantum professione in Ecclesia sunt: ergo in aliis illis vet-  
 bis, *Domus Dei sumus nos, si fiduciam & gloriam spei usque* *Heb. 3.*

ad finem firmam retineamus, loquitur similiter de illis tantum qui hominum opinione censeantur in Ecclesia. Nec enim Christus hoc loco loquitur de tota vinea, nec Paulus in verbis posterus citatis de tota magna domo Dei quasi de externa & generali professione vnius fidei & religionis; sed loquitur uterque de veris & viuis membris Christi: Paulus de domo quam Deus verè inhabitat, Christus de palmitate in vite. Palmes autem in vite esse non potest, nisi qui aliquando vixerit in vite. Neque enim palmes aut aliunde inferuntur, aut extra suum truncum est; sed ut palmes dicatur, nascitur ex vite, & quidem viuus nascitur, non mortuus; vide & postea Calvinus dicit, *tunc nos demum incipere palmites fieri, dum nos in Christum coaluimus*. Deinde etiam illa vinea domus Israel non externa tantum professione, sed & vera fide in vnum Deum & per fidem Deo coniuncta populus Dei erat; tamen non faceret vvas, sed labruscas: id est, multis se scelibus cõtaminaret, quae Prophetae in illis accensuram inceptabant. Ex quibus omnibus conficitur, de eo hunc Christum loqui qui semel regeneratus Spiritu Dei verè vixit in Christo, & re ipsa radicem in vite habuit, quem etiam tollendum & ressecandum comminatur, nisi fructum ferat.

Non dicit Christus, Omnem futurum palmitem in me non ferentem fructum toller, sed *omnem palmitem in me*: id est, qui in me iam est. Non loquitur de eo qui opinione hominum censeatur in vite, ut ad vitem accedat, eique verè inferatur; sed loquitur de palmitate iam in vite, ut in vite maneat, ut non tollatur à vite: quod ex sequentibus Christi verbis magis adhuc lucebit. *Manete* (inquit) *in me, & ego in vobis*. Ad perseverantiam hortatur: & addit. *Sicut palmes non potest ferre fructum à seipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis*. De palmitate loquitur qui iam est in vite, ut maneat in illa. Si non nisi opinione hominum censebatur in vite, ergo aut Christus hortatur ut sola quoque opinione hominum semper censeatur, (manere quippe continuationem notat eius quod prius erat) aut nullo modo dicere debuit, *nisi manserit in vite*, sed, nisi viti inferatur, nisi radicem in vite habere incipiat. Nunc autem de palmitate loquitur mansuro in vite, & Apostolos admonet ut maneam in ipso, quia ille est vera vitis, à quo vitalem succum trahere, & per quem fructificare debeant. Manet ergo vnum, aliquos palmites radicem re ipsa in vite habere, quos fideles Christo re ipsa inuitos esse, qui tamen fructum

non ferant; quos propterea monet Christus ut fructum adferant, & ad bene fructificandum in ipso ut mancant, alioqui tollendos ac refecandos esse.

Ex qua etiam Christi doctrina, tertia quædam Caluini & aliorum hæresis refutatur, qua docent solos electos iustificari & inferi Christo, qui nunquam tollendi sunt, aut à vite refecandi, quia electi sunt. Quam insanam & penè propriam Caluino hæresim nec hoc loco tacere Caluinus voluit, quia eam hinc periclitari aduertit. *Vitis (inquit) naturam nemo sapit, donec in Christum fuerit iustus. Atqui hoc speciali gratia datur solis electis.* Hæc ille. Rursum postea ad illa verba, *Si quis in me non manserit, tolletur, &c.* ita scribit. *Non quod ex electis aliquem contingat unquam excitari, sed quia multi hypocrite in speciem ad tempus florent & videntur. Sic nullos nisi hypocritas refecati, & qui electi sunt nunquam vel ad minimum tempus à Christo diuelli tradit. Sed Christi verba luce meridiana clarius contrarium docent. Ponunt enim palmitem in Christo, qui tollendus est nisi fructum ferat. Et Christus Iudam haud dubiè designabat, sicuti quum de manendo in vite hortatur, Apostolos præcipuè alloquitur, ne Iudæ exemplo à Christo recedant; tamen generalis sit quoque Christi doctrina, & ad omnes æquè perindeat. Deinde hæc insana & perpetua Caluini doctrina ex aliis Scripturis luculentissime euertitur. Cùm auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in illa. Ecce habuit iustitiam, & iustus erat, qui eam deserere potuit, & in sua iniquitate mori, quod electis accidere non potest. Rursum. Refrigescat charitas multorum. Habuit igitur charitatem, quæ sine fide non habetur, fuitque Christo semel iustus, in quo charitas postea extinguitur, idque interdum finaliter. Nam idè adiecit Christus. Qui autem perseverauerit usque in finem, hic saluus erit. Habent igitur aliqui charitatem, qui non perseverauerunt usque in finem, id est, qui non sunt electi. Deinde an mentitus est Paulus, quum diceret quosdam circa fidem naufragasse, alios pecunias appetentes errauisse à fide? Denique in nouissimis diebus multos recessuros à fide? An patitur naufragium qui in navi nunquam erat? An errat à fide aut recedit à fide qui eam nunquam habuit? Tale est hoc Caluini portentosum dogma, quod hoc loco luculenter euersum, hoc tamen loco lectori suggerere non est veritus.*

Vnica electorum fides refellitur.

Ezech. 18.

Matt. 24.

1. Tim. 1.

5. *Quia sine me nihil potestis facere.*

- A**ntegressam exhortationem suam ut manent in ipso Discipuli sui, hoc fortissimo argumento confirmat Christus. *Quum enim ad eam rem multis hic argumentis utatur Christus; ut ab utilitate, Qui manet in me, hic ferit fructum multum; à pœnis eos consequentibus qui in eo non manent, Si quis in me non manserit, mittetur foras, & arefiet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet; rursum à beneficiis quæ manentes in eo consequuntur. Si manserit in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis; deinde à Dei glorificatione, quam illi qui manent in Christo procurant, In hoc glorificatus est Pater meus, ut fructum plurimum asseratis, sup. manendo in me, ut prius dixerat; ac postremò à dilectione & charitate qua eos prosequitur, quasi per eam illos obtestando, Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos, manete in dilectione meo, vnum ad hanc rem argumentum à rei necessitate proponit Christus. Antea dixerat. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Nunc idem planius & plenius repetit. Quia sine me nihil potestis facere, id est, nullum planè fructum utilitatis, siue magnum, siue parvum, nihil quod ad vitam æternam conferat, facere aut conferre potestis, sine me, siue meo adiutorio, siue mea virtute, gratia, auxilio, nisi in me manseritis, nisi mihi per fidem adhereatis, quia vitalis gratie succus non nisi à me promanat, idque in palmices mihi insertos, in solos credentes in nomen meum, mihi que vitos incorporatos. Hæc est Christi verborum vis, hæc sententia.*

Gratia  
Dei necessitas.

Quid nunc in hunc locum Calvinus? *Clausula* (inquit) *est & applicatio totius parabola, quam diu extra Christum sumus, nihil boni fructus & Deo grati proferre, quia ad bene agendum minimè sumus idonei. Vera est hæc sententia ex Christi verbis collecta, si de illo bono fructu loquamur, quod ad vitam æternam & veram pietatem spectat, de quo hic Christus loqui dubitari non potest. De eo enim loquitur fructu, quem ille solus facit qui in Christo manet, & per quem in Christo manemus, denique per quem Deus glorificatur in nobis. Hanc (inquit) sententiam Papiste non extenuant modò, sed evadunt imò prorsus eludunt. Grauis accusatio, quæ an grauior & solide probet advertamus. Etsi enim (inquit) verborum sensus*



principium omnium affectionum naturalium & spiritualium, & piarum quibus in Deum tendimus. Sed ut ad fidem capendam, & ad ea quae fidei sunt credenda, dono fidei purificatur intellectus; sic ad affectiones piarum ac spirituales a voluntate eliciendas dono amoris divini accenditur & corroboratur voluntas; novaeque vires, novam facultatem (quam a se & ex se nunquam habere potuit) a Christo accipit, sine quo nihil in hoc genere boni facere potest. His viribus adiuta voluntas humana divinae gratiae liberè cooperatur. Haec vera & integra est Catholicorum sententia. Agnoscimus habere nos aliquid ex nobis, id est, ex natura intellectus ac voluntatis nostrae, qua gratiae Christi cooperemur, a deo quoque aliquam naturalem facultatem ad cooperandum gratiae quam bruta & fera non habent, quae ut causa partialis valeat ad bonum operari. Hinc tamen non sequitur posse nos aliquid sine Christo facere: quia haec naturalis facultas sine Christo verè nihil facit, nihil operatur. Nihil, inquam, quod ad salutem valet. Christo tamen cooperatur. Sine lumine non possumus videre quicquam. Habemus tamen naturalem facultatem ad cooperandum lumini opus visionis. Confundit alvinus operari & cooperari, quasi ad cooperandum vires non haberemus, quia ad operandum non habemus: aut quasi gratiam Christi operantem negaremus, quia cooperantem statuimus. Nos verò operantem Dei gratiam multiplicem ponimus, quatenus sua gratia praevincit, excitat, & vires naturales in opera trahit, quatenus sui Spiritus communicatione renouat, sua misericordia peccata remittit, atque iustificat: quatenus peccatos dirigit, corroborat, flectit, & inclinat ad bonam perseverantiam. His omnibus modis operatur Deus in nobis, ut nos illi cooperemur.

*Habet homo ex se quo cooperetur, non quo operetur.*

*Operari & cooperari confundit Calvinus.*

*Mendacium Calvini.*

Nunc quae in Calvino sequuntur, videamus. *Verum tam clara Christi verba eludere, non ita promptum est.* Non Christi verba Catholicorum doctrina eludit, sed Catholicorum doctrinam Calvinus absque causa taxavit. Tale (inquit) est *Peccatorum commentum*: Nos sine Christo nihil posse: ab eo tamen adiuvari habere aliquid ex nobis praeter eius gratiam. Christus vero contra pronuntiat: Nos nihil posse ex nobis. *Palmes* (inquit) non ferunt fructum à semetipso. Ergo non tantum cooperantur, sed gratis auxilium hic commendat, sed nos penitus prius virtute, nisi quam suppeditat ipse nobis. Ergo haec partialis. *Sine me, sic resolvi debet, non nisi ex me.* Vera est haec tota rebaturum Christi explicatio, loquendo de virtute, efficacia, &



cultare, aut viribus quibus homo aliquem bonum fructum, qui ad vitam æternam conferat, operari & facere potest. Sed falsa est hæc tota criminatio, quæ dicit sententiam nostram hanc esse, *Habere nos aliquid ex nobis à Christo adiutis præter eius gratiam.* Falsa, inquam, est, si per illud *aliquid ex nobis,* aliquam facultatem & vim operandi & faciendi intelligat, nullam enim sævè vim operandi opus pietatis habet homo sine Christo, sed habet vim cooperandi cum Christo. Verè enim divinæ gratiæ cooperamur, & gratia Christi, sine qua nihil possumus, adiuvat, ut possumus (non sola sine nobis totum facit) quia est in nobis præter gratiam Christi naturalis facultas intellectus & voluntatis, quæ cum virtute, facultate, & efficacia gratiæ Christi in opere bono concurrat. Hanc si negat Calvinus, humanam naturam, quæ sola à brutis animalibus differt, pariter tollit.

Eodem modo hunc locum in Institutione sua ad doctrinam Catholicam reprehensionem contortit, *Nisi obstaret* (inquit) *recordia, satis luculentum testimonium gratiis suis reddidit Christus, ne malignè suppresserentur.* Ego sum, inquit, vitis, vos palmitas, Pater meus agricola est. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis, quia sine me nihil potestis facere. Si non aliter per nos fructificamus quàm reuulsus à terra palmes & humore privatus germinat, non est amplius querendum qua sit natura ad bonum aptitudo. Nec ambigua est ista conclusio: Sine me nihil potestis facere. Non dicit nos esse infirmiores quàm qui nobis sufficiamus, sed nos ad nihilum redigendo, omnem vel exigua facultatula opinionem excludit. Iterum de facultate & virtutibus ad bene agendum sic disputat, quæsi sine gratia Christi aliquod pietatis opus ipsa operarentur. At qui cum S. Augustino & aliis Patribus contra Pelagianos docet Ecclesia Catholica nihil prorsus boni, nec parvum, nec magnum, nec facere, nec perficere, quod quidem Deo ad meritum gratum sit, hominem sine Christi gratia posse.

Nam quod ex his verbis nullum prorsus bonum, seu morale, seu naturale, sine Christi gratia facere hominem possit Calvinus colligit, absurdus est quæsi ut vlla refutatione egeat. Claram est, ut nuper diximus, Christum hoc loco de illo bono opere loqui, qui sit fructus palmitis manentis in Christo, per quem manemus in Christo, & per quem glorificatur in nobis Deus. Quod ut luce meridiana clarius appareat, attende verborum Christi connexionem *Ego sum vitis, vos pal-*

*Institut.*  
*lib. 2. c. 3.*  
*num. 9.*

*Bonum morale sine Christi gratia fieri potest.*

mites. *Qui manet in me, & ego in eo*, id est, qui per fidem & charitatem mihi unitus est, & cui ego spiritum meae gratiae communico atque infundo (sic enim manet in nobis Christus) *hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.* Attende hanc clausulam à Christo inferri, ut probet eos solos, qui in ipso manent, fructum multum facere. Nam *sine me*, id est, nisi in me manent, & ego in eis, nihil possunt facere. Quid nihil, nisi nullum fructum? Et quem fructum, nisi fructum gratiae, nisi fructum Spiritus Sancti salientem in vitam aeternam? Non ergo impediunt haec Christi verba quominus queratur quae sit natura nostra ad bonum aptitudo, ut hinc ait Calvinus, ad bonum, inquam, morale vel naturale in rationali creatura, quod ex his verbis penitus à Christo remoueri, in suis ad hunc locum commentariis docet, affirmans, ex his verbis sequi, *omnis boni hominis vacuum esse naturam.*

Sed ut ad priorem disputationem redeamus, facultatem ad bonum spirituale opere exequendum per haec Christi verba penitus tolli, nisi Christo prius homo inseratur, atque in eo maneat, non negant, sed libero ore profitentur Catholici, ab Augustino, immo ab Ecclesia Catholica sic edocti, quae contra Pelagium definiuit, *habere nos ad non peccandum, id est ad vincendum ex omni parte peccatum, ut iuxta Apostolum peccatum nobis non dominetur, liberum arbitrium non forte & firmum, ut ille dicebat, sed inualidum & infirmum, quod Christi gratia sanatur, nouis illis viribus atque adeo efficacibus benigne concessis.* Absque nouis istis gratiae viribus nonnullis (ut vult Calvinus) sed *infirmas & inualidas* (ut loquitur Augustinus) id est, insufficientes vires adfert homo vetus, vel si Christo inseratur, vel ut illi in situ fructum ferat, quia adfert voluntatem infirmam ac debilem & peccato aegram, quae haec gratiae viribus roborata ac sanata propria sua actione Deo cooperatur, & quidem sine Christo nihil facit, sed cum Christo plurimum facit, quia (ut hinc dicit Christus) *multum fructum adfert.*

Non placet haec explicatio Caluino, qui propterea Christi verba ad longum recitans, haec verba in medio posita, immo proximè praecedentia penitus refecauit *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me, &c.* Quare hinc in modum in sua Institutione loco citato adhuc prosequitur. *Si in Christo insiti fructificamus instar vitis, quae tum à terra humore, tum à rore caelesti, tum à solis somero vegetationis ducit*

Scripturā  
mutilat  
Calvinus.

energiam, nihil in bono opere restare nobis video si Deo illibatum seruamus quod suum est. Existimat Calvinus sic nos esse palmites in vite, vt ad fructum ferendum nihil ipsi cooperemur, sed Deus totum in nobis operetur, quasi etiam palmes fructificans à seipso ex parte non fructificet, quum verè viuat, & vitam in se habeat, tamen aliunde acceptam: vt à vite, à terræ humore, à rore cœlesti, à solis fomento, à quibus omnibus vitalem succum accipit. Sed non aduertit similitudinem palmitis in vite, tenere quidem in gratiæ influxu quem à Christo fideles hauriunt, sicuti succum à vite palmites trahunt; sed non tenere in ipso ligno palmitis, vt cor humanum insensatum sit; sicut illud est. Alioqui Christus ipse sic quoque vera vitis erit, id est, similis veræ viti, quia gratiæ succum in palmites suos deriuat naturaliter, & per modum naturæ, sicut vitis facit. Cæterum sicut Christus ita est vitis vera, vt non per modum naturæ sed libera voluntate suas gratias palmitibus suis impertiat, quia *Spiritus ubi vult spirat,* & *cui vult miseretur,* & per electionem gratuitam omnia sua communicat; sic omnino credentes in Christum, & bene operantes per gratiam Christi, ita sunt palmites iuncti Christo, & fructificantes in illo; vt non per modum naturæ operentur merè passiuè se habentes, nihilque quàm gratiæ influxum recipientes, sed propria actione Dei gratia vtantur, libertateque arbitrij influxus cum diuinæ gratiæ influxu in omnibus bonis operibus concurrat, & cooperetur. Sic ergo sine Christo nihil facere possumus, vt cum ipso faciamus, adeoque multum fructum afferamus, faciamus, inquam, ipsi opere nostro. Ita in bono opere multum restat nobis, quia nos sumus qui facimus, & faciendo meremur; dicente paulò post Christo, *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea:* quæ verba quantum valeant, in sequentibus aperiam. Deo quoque *illibatum seruamus quod suum est,* quia vim ac facultatem bene operandi, in hoc bonorum operum genere, gratiæ diuinæ & nouis viribus ab ea datis tribuimus. Sic & Deus totum facit, quia tales faciendi vites subministrat, vt sine eo nihil faciamus; & homo totum facit, quia viribus istis à Deo concessis naturali sua voluntate per gratiæ vites iam facta ac roborata cooperatur. Ita Christi hanc sententiam nec extenuat, nec enervat, nec eludit Catholicorum doctrina, sed Christi mentem ac doctrinam penitus inuertit, enervat, atque eludit Calvinus.

Palmiti in vite quo sensu comparatur fidelis.

Ioan. 3.  
Rom. 9.

9. *Manete in dilectione mea.*

*Vnica electorum iustificatio refellitur.*

Christus Dominus postquam variis argumentis (quæ in loco præcedenti enumerata sunt) discipulos suos hortatus esse, ut in ipso manerent, nunc expressius dicit, *Manete in dilectione mea*, id est, date operam, ut mea erga vos dilectio, firma ac stabilis permaneat, neque eam culpa vestra amittatis. Non enim de dilectione qua discipuli Christi diligebant, sed de illa dilectione qua Christus eos dilexit, Christum in his verbis loqui, post D. August. Iuculentam expositionem, consentientem in hac parte habemus Calvini, qui ad hæc verba in hunc modum scribit. *Quidam interpretantur quod Christus mutuum à discipulis amorem exigat. Alii alij, qui actuè accipiunt dilectionem Christi. Nam amor qui nos semel complexus est, vult nos perpetuò frui ac perpetuè cavendum esse admonet, ne nos eo privemus. Multi enim illam sibi gratiam repudiant, multi abijciunt quod in manibus habebant. Ex quo itaque semel recepti sumus in Christi gratiam, videndum est ne inde culpa nostra excidamus.* Hortatur ergo discipulos suos Christus, & in illis nos omnes, ut iam dilecti à Deo, regenerati & iustificati per Christum, maneamus in illa dilectione qua Deus nos diligit, et non excidamus à gratia accepta, denique operam demus ne nos ipsos nostra culpa ac negligentia tanto iustificationis accepto bono privemus. Valent igitur hæc Christi verba tum contra infirmitatem electorum fidem quæ amitti nõ potest, tum contra contumaciam Dei gratiæ efficaciam quæ omnem nostrum concursum & cooperationem excludit; quam utramque Calvinus perpetuò docet. Ad prius enim quod attinet, ipsos suos Apostolos, qui haud dubiè electi erant, hortatur Christus, ut id agant, ne excidant à dilectione illa qua eos ipse dilexit, ne id inani aliquo terribilimento, quasi reuera excidere possent, sed quia, ut ipse hinc Calvinus fatetur, *Muli abijciunt quod in manibus habebant.* Ad posterius, quod attinet, quum iubet eos manere, iubet eos id agere, id conari, id videre, ut sua culpa à gratia excidant. *Videndum* (inquit Calvinus) *semel in gratiam recepti, inde culpa nostra excidamus.* Est ergo aliquid in nobis positum, unde id videamus & cavemus. Tamen enim dilectio Dei, qua nos diligit, in nobis potestate non sit, sed in eius beneplacito qui diligit, tamen iubemur eam semel acceptam conservare, quia, ut eam conservemus, ille, qui nos diligit, tacitate & media illam conservabit.

*Cooperatio eum Dei gratia.*

perpetuò subministrat, nisi nostra ipsorum culpa huiusmodi  
 media subtrahantur. *Deus enim neminem deserit nisi deserat.*  
*qui & desertores saepe conuertit.* Præcipitur igitur perse- *August. de*  
 uerantia, tamen si Dei donum est, tum quia qui stat. cadere po- *nat. & gra.*  
 rest, & *Dei dona sine pœnitentia quidem sunt,* quatenus Deum *c. 20. & ad*  
 nunquam pœnitet de donis suis, ut, quæ semel dedit, vellet se *artic. sibi*  
 non dedisse, non sic tamen sine pœnitentia sunt, ut, quæ semel *falso impo.*  
 dedit, amitti nequeant, *nisi enim permanseris in bonitate.* & *tu Rom. II.*  
*excideris;* tum etiam quia si excidimus, nostra id culpa fit;  
 quia rursum sine pœnitentia Dei dona sunt, quatenus per  
 Deum non stat quo minus qui semel donum iustitiæ ab eo  
 accepit, in eodem dono perseveranter maneat. Monet suum *Tit. 2.*  
 Titum Paulus, *Nemo te contemnat.* Sanè non est in potestate  
 cuiusquam, ut ab aliis vel in honore vel despectui habeatur.  
 Et tamen in potestate cuiusque Prælati est, ita se gerere, ut  
 honore sit dignus: & à suis subditis meritò contemni nō de-  
 beat: quod illic Titum monuit Apostolus. Sic dilectio Dei  
 erga nos, in nostra potestate non est. Est tamen in potestate  
 cuiuslibet in Christo regenerati, & iam à Deo dilecti, ita se  
 gerere, ne sua culpa hac dilectione & grâtia Dei priuetur. Ac-  
 cepit iam enim à Deo donum gratiæ, quod non nisi sua cul-  
 pa ab eo auferetur; sicuti talenta Evangelica non nisi ab illo  
 sublata sunt, qui ea *in sudario reposita oscitantèr seruauit.* *Ac Matth. 25.*  
 ce, it, inquam, donum gratiæ quo Dei præcepta seruaret (qui  
 est bonus vsus talentorum) & per eorum obseruationem in  
 Dei dilectione maneret, ut in verbis proxime sequentibus  
 Christus luculenter docet: quæ idcirco mox tractabimus.

Interim corruptioni Caluiniæ occurrendum hic est.  
 Nam contra hoc posterius quod aduersus eius hæreses an-  
 notauimus (prius illud penitus dissimulans, posterius dissi-  
 mulare non valens) ita disputat. *Quæd ex his verbis quidam*  
*inferunt nihil efficacia esse in gratia Dei, nisi adiuetur nostra*  
*constantia. frivolum est.* Neque enim concedo Spiritum à nobis  
 tantum exigere quæ facultatis nostra sunt, sed ostendere quid  
 fieri oporteat, ut si nobis desunt vires, aliunde petamus. Sicuti  
 quum hic ad perseverantiam nos hortatur Christus, minimè no-  
 stro Marte & industria vitendum est, sed rogandus ipse qui præ- *Caluini*  
 cipit, ut nos in sua dilectione confirmet. Sententiam orthodo- *arres.*  
 xam, quam impugnare contendit, non ponit integram, ve-  
 ram, ac plenam. Responsio quam adfert, partim est aut fallax  
 aut falsa, partim imperfecta. Hæ eius artes sunt. Contra ef-  
 ficaciam gratiæ à Caluino positam, quæ omnem nostram  
 coope

Efficax gra-  
tia non ad-  
iuuatur à  
nobis, sed  
nos ab illa.

Rom. 8.  
2. Cor. 6.

cooperationem excludit, non hoc obicitur, nullam esse gra-  
tia efficaciam, nisi nostra constantia adiuetur, quum omni-  
bus compertum sit, nostram constantiam seu perseverantiam  
à gratia adiuuari, non illam à nobis; sed hoc merito obici-  
tur, ad perseverandum in bono non solum efficacem Dei gra-  
tiam requiri, sed nostram quoque obedientiam, ut gratia de-  
ctum obsequenter sequamur: *Qui enim Spiritu Dei aguntur,  
hi filij Dei sunt*) & *ut gratiam Dei in vacuum non recipiamus.*  
Vide ergo ut totam causam inuertat Calvinus. Dicente & si-  
stente eo gratiam à seipsa efficacem ita omne bonum opus  
ipsamque imprimis perseverantiam operari in nobis, ut nulla  
sit ex parte nostra cooperatio, nullus liberi arbitrij cōcurrere  
aiunt Catholici, gratiæ quidem vires esse efficacissimas, sed  
huic efficacissimæ gratiæ humanam voluntatem liberam  
cooperari, quatenus, ut cooperetur, ab efficaci gratia effica-  
ter adiuuatur: & hanc ob causam culpa nostra sæpe fieri quod  
gratia, quæ alioquin efficax esset, effectumque consequetur  
suum, nostra negligentia inefficax fiat, nec in bono accipere  
perseueremus. Sic gratiæ efficaciam statuimus, sed liberæ  
voluntatis cooperationem adiungimus, quia ab ipsa gratia liberæ  
adiuatur, ut liberè cooperetur. Iam fingit Calvinus propter  
liberi arbitrij cooperationem omnem gratiæ efficaciam à no-  
bis negari, & ipsam gratiam à nostra voluntate adiuuari. In-  
ferunt (inquit) nihil esse efficaciam in gratia Dei, nisi adiuetur  
nostra constantia. Imò cōtrarium asserunt Catholici, nullam  
esse nostram constantiam, nisi gratia Dei adiuetur: & effica-  
ciam in Dei gratia, non nullam ponunt, sed solam negari.  
Cæterum Calvinus cum veteribus Manichæis putat negari  
gratiam Dei si ponatur liberum arbitrium, sicut illis con-  
trarij Pelagiani putabant negari liberum arbitrium si gratia Dei  
poneretur. Totam igitur sententiam quam voluit impug-  
nare, ut ad expugnandum facilius esset, sensu contrario, per-  
uerso, odioso, planèque falso, inuertit. Nunc quid respondeat re-  
pendamus. *Minimè* (inquit) *nostro Marte & industria nitendum est, sed rogandus ipse qui precipit, ut nos in dilectione con-*  
*firmet.* Hæc responsio partim est aut fallax aut falsa, partim  
imperfecta. In eo fallax est aut falsa quod ait *nostro Marte & industria non esse nitendum.* Aut enim his verbis intelligitur  
naturæ nostræ viribus absque Dei gratia non esse nitendum  
& lectorem fallit, quasi hoc Catholici sentirent, quod Pelagi-  
agiani senserunt; aut negat libera nostra voluntate Deo esse  
cooperandum, & aliquid à nobis agendum, ne in vacuum

gratiam Dei accipiamus: atque ita non fallit tantum, sed & falsum narrat. Imperfecta eius responsio est, quod addit, rogandum esse ipsum qui precipit, ut in sua nos dilectione conseruet. Nam est hoc quidem maxime verum, sed non est hæc tota veritas. Non solum rogandus Deus est, ut in sua nos dilectione confirmet, sed etiam ad Dei dona in nobis conferuanda, quibus conseruatis confirmatur dilectio, Dei voluntati nostra voluntas conformanda est; Deo per suam gratiam eorum, quos iam diligit, incessanter mouenti, dirigenti, flectenti, obsequi & consentire liberum arbitrium debet. Quod contra Caluinum iuxta apertissimas Scripturas luculenter Augustinus docuit. Quum enim multis Scripturarum exemplis docuisset iuberi quidem homini, ut ad Deum se conuertat, ut intelligat que recta sunt, ut post concupiscentias suas non eat, & tamen pro his singulis rogandum Deum esse, iuxta alias Scripturas, *Conuerte nos Deus salutaris noster, Da mihi intellectum ut discam mandata tua; Quia nemo potest esse continens nisi Deus det, adij Dominum & deprecatus sum;* ideoque in his omnibus nihil aliud Deo dici, quam, *Da quod iubes, ut intelligamus pro singulis rogandum esse Deum, nec nisi ex Dei munere Dei præcepta seruari posse;* tamen ne in hoc precandi studio totum esse positum quisquam existimaret, prouidenter & sapienter idem clarissimus Doctor eodem in loco adiecit: *Non ideo tamen de hac re solis votis agendum est, ut non subinferatur adnitendo etiam nostra efficacia voluntatis. Adiuutor enim noster Deus dicitur, nec adiuuari potest nisi qui aliquid sponte conatur, quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis in quorum natura rationem voluntatemque non contulit, salutem nostram Deus operatur in nobis.* Hæc ille. Luculenter contra Caluinum docet, non solum rogandum esse Deum, sed etiam ex parte nostra adnitendum esse, id est, nostro Marte & industria adnitendum esse, quatenus nixus ille & conatus non vim aliquam aut facultatem naturalem à Dei gratia sciunctam, sed nostra voluntatis efficaciam, id est, cooperationem efficientem significat: quia videlicet, ut Augustinus subiunxit, sic Deus agit & operatur in humana voluntate, ut in subiecto libero, ut in creatura rationali, quæ voluntatem habet & motum proprium; non ut in lapide, qui nullam motum proprium habet, sed mouetur tantum ab impellente & mouente eum: ideoque sic Deus operari dicitur in nobis, ut nos adiuuare dicatur, & adiuutor noster nuncupetur. Hic ergo vnus modus, hæc vna ratio est, cur manere in dilectione

*Liberi arbitrij cooperatione, Zach. 1. Tsal. 93. Sapient. 8. Tsal. 76. Tsal. 118. Sapient. 8:*

*De peccato mer. & remiss. lib. 2. cap. 5.*

ctione Dei & perseverare iubeamur, quia etsi dilectio Dei in nos eiusque perseverantia gratuitum Dei donum sit, à nobis tamen accipitur, & à nobis conservatur, nostra voluntaria efficacia (ut Augustinus loquitur) concurrente, nostraque libero arbitrio cooperante; quod si deficit, dilectio Dei in nos nec à nobis accipitur, nec in nobis conservatur. Sed non alium modum magis particularem magisque expressum conservandae in nobis dilectionis Dei Christus docebit. Sic enim praecedentibus verbis subiungit.

10. *Si praecepta mea servaueritis, manebitis in dilectione mea; sicut ego Patris mei praecepta servavi, & maneo in dilectione eius.*

*Honorum operum necessitas & efficacia luculenter à Christo docetur.*

**N**ec in toto vix Evangelio ullus locus est, qui procellitate, virtute, & efficacia bonorum operum luculenter faciat; nec vix vllum textum Evangelicum aut foedius deprauavit, aut maiori impudèria tractavit Caluinus. Loci enim & verborum Christi sententiam totam ac plenam prius exponemus; corruptelis Caluini postea occurremus. Vult Christus his verbis vnum medium, vnam viam, ac rationem manendi in dilectione Dei suos discipulos docere; postquam ut in eius dilectione manerent, multis eos verbis variisque argumentis prius hortatus esset, ut ex duobus praecedentibus locis patet. Aut igitur: *Si praecepta mea servaueritis, manebitis in dilectione mea*: id est, ut in dilectione mea maneat, ut ego vos perpetuo diligam, sicut haecenus dilexi, debetis mea praecepta servare; tum quia necessarium hoc est, tum quia hoc maximè modo & hac indubitata ratione, in mea dilectione manebitis. Et ne haec conditio aut dura vobis aut incerta videatur, dura propter obligationem, incerta propter eventus, scitote me quoque propter hanc ipsam causam, & ex eadem conditione in Patris mei dilectione manere. *Sicut* (inquat) *ego Patris mei praecepta servavi, & maneo in dilectione eius*. Posset hic autem merito duplex quaestio suboriri. Vna quomodo ad Patris sui praecepta servanda Christus homo obligatus fuerit; altera, quomodo propter huiusmodi obedientiam Deus Pater eum perseveranter dilexit. Nam ad primam quaestionem quod attinet, quum praecepta ideo dantur ut eum cui dantur, vel in officio contineant & coercant, vel de seipsis in Scriptura comparantur (*Sepius vineam meam*) vel ad rectè agendum dirigant, vel in studio virtutis exercant.

*An Christi Patris praecepta obligant. Esai 47.*



ceant atque perficiant, atque ita meriti ac mercedis capacem reddant, Christus autem nullo istorum indigerit, cuius videlicet & voluntas in bono indefectibilis, & intellectus omni scientia plenus erat, qui etiam ab instanti incarnationis suae perfectus ac beatus quoad animam fuit, videri potest eum proprie loquendo nullis praeceptis obligatum & adstrictum fuisse, saltem circa ea quae ad salutem nostram faciebant, sed omnia huiusmodi ex sola propria voluntate & dilectione generis humani ab eo praestita fuisse. Ad posteriorem quaestionem quod atinet, quum propter unionem hypostaticam Dei Patris in eum hominem dilectio immobiliter perseverans & indefectibilis esset, quomodo hic propter servata Patris praecepta in Patris sui dilectione se manere asseverat? Sed ad utramque quaestionem breuiter responderetur, valeretque plurimum pro praesenti causa quod necessarium responderi oportet. Ad priorem respondeo, Christum hominem praecepta & mandata à Patre suo etiam circa ea quae redemptionem humani generis concernebant, plurima accepisse, iuxta S. Augustini, Cyrilli Alexandrini, Ambrosij, & aliorum Patrum doctrinam, non quidem propter causas antè dictas, sed propter alias non minus graves. Primum, quia Dei Patris erga nos dilectio hoc modo luculentior apparuit, qui nostram salutem non solum permittere, aut ordinare, sed etiam sub praecepto Filio suo incarnato iniungere voluit. Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum suum filium daret. Deinde, quia Christo secundo Adamo conueniebat imprimis ut per obedientiam hominem repararet, sicuti per inobedientiam primus homo genus humanum perdidit. Humiliauit semetipsum factus obediens Patri usque ad mortem. Tum, ne in terris conuersatus nullis legibus subesse, aut legum prauaricator improbis Iudaeis videretur: propter quod frequenter repetit, Ego facio voluntatem Patris mei qui misit me. Tandem, ut Christi exemplo discamus quantum humana natura Deo subiici debeat ad obediendum mandatis eius, postquam filius eius naturalis obedire debuit. Sicut enim passus est exemplum nobis relinquens ut sequamur vestigia eius; sic & obediuit seruans mandata Patris sui, exemplum nobis relinquens similis obedientiae necessarium praestanda. Postremo, ut intelligeremus quantum Deus faciat praeceptorum suorum diligentem & studiosam obseruationem, quam strictè id exigat, quam necessarium & efficacem medium id esse voluit, ad eius dilectionem perpetuò retinendam, postquam ipsi Christo praecepta dare voluit, &

pro

*Præcepta  
Dei quomodo  
Christus  
obligabat.  
Tract. 82.  
in Ioan.  
Lib. 10. c.  
20. in Ioan.  
Lib. 5. c. 6.  
de fide.*

*Ioan. 3.*

*Philip. 3.*

*Ioan. 4. 5.*

propter illorum obseruationem suam erga Christum dilectionem firmam ac stabilem retinere. Quod postremum Christus in his verbis nos docuit: *Sicut ego praecepta Patris mei seruauit, & maneo in dilectione eius.*

Quomodo  
propter o-  
bedientiam  
perseuerā-  
ter Chri-  
stus dile-  
ctus à Deo  
fuit.

Filij ado-  
ptionis non  
eo solo ti-  
tulo ma-  
nent in di-  
lectione  
Dei.

Caluinus  
primò la-  
etat ut  
postea in-  
toxicet.  
Rom. 8.

Ad posteriorem quæstionem respondeo, vnionem quidem hypostaticam vnam & primariam causam fuisse immobilis dilectionis diuinæ erga Christum hominem: aliam tamen eiusdem rei causam præterea fuisse Christi obedientiam, quæ Patris sui præcepta seruauit, sicuti hoc loco disertè Christus profitetur.

Quo in loco notandum diligenter (quia contra hæreticos valet plurimum) filios adoptionis, & per fidem in Christum, atque adeò ipsos electos, quales isti Apostoli erant, tamen ex illis titulis à Deo diligantur, manentque in dilectione Dei qua Deus eos diligit, tamen ad eandem dilectionis diuinæ erga eos perseuerantiam alium hunc titulum necessariò requiri, vt seruent mandata, dicente hic Christo: *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Hæc igitur ratio conditio est manendi in dilectione Dei, siue propter quam à Deo diligimur, vt seruemus mandata eius. Hæc est vis & sententia huius loci attentè perpendenda, quia pro necessitate & efficacia bonorum operum ad salutem & iustificationem, adeoque ad perseuerantiæ donum conseruandum (quum tanta salus ac iustitia nostra eiusque perseuerantia sit, manere in dilectione Dei, siue esse à Deo perpetuò dilectū) inuisitè valet.

Nunc quid ad hæc verba Caluinus disputet, & qua arte vtatur, videamus. Laetat primum lectorem, quasi quædam melle labia perfundit, vt postea incauto atque auido hauriendi venenum instillet suum. Lac eius & mel hoc est. Mel perseuerantiæ Christus ostendit, si sequamur quòd ipse vult. Nam, vt dicit Paulus, *Qui in Christo sunt, secundum spiritum ambulant, non secundum carnem.* Hæc enim inter se per se sunt coniuncta, fides & bona conscientia, vitæque nouitas. Et certè nõ reconciliat Christus Patri fideles, vt impunè lasciuant, sed vt Spiritu suo ipsos gubernans sub Patris manu & imperio eos contineat. Vnde sequitur, *abijcere Christi amorem nisi quæ vera obedientia probant se eius esse discipulos.* Hoc eius lac & mel est, hæc oratio honesta, tamen à tota Christi sententia longè absit. Nunc venenum propinat. *Si quis obijciat, respondeo igitur à nobis salutis nostræ firmitudinem, respondeo perperam trahi in illam partem Christi verba.* Vera Christi sententia obedientia nostra & obseruatione mandatorum Dei pendet.

vt in Dei dilectione maneamus, non ponit salutis nostra firmitudinem à nobis pendere, vt rem odiosis verbis narrat Caluinus; sed ponit salutis nostræ perseuerantiam ab operibus bonis pendere, quæ tamen nostra sunt, tamen Dei quoque opera in nobis sunt, ideoque quorum salus ab illis pendet, eorum salus non ab ipsis, sed ab operibus bonis pendet. Hæc autem duo plurimum differunt. Prohibet quippe Scriptura <sup>Gloriari in seipso non licet, in bonis operibus licet.</sup> confidere aut gloriari in seipso: non prohibet confidere in bonis operibus, aut gloriari in Domino: quod vtrumque Paulus fecit, quum diceret, *Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruaui, &c.* Ita semper vafre & odiosè, nunquam sincerè & candidè, quæ sibi ex parte veritatis Catholica obicit, proponit Caluinus. Videamus tamen ad obiectionem ipsam quid respõdeat, & quare ad huiusmodi sensum Christi verba perperam trahi affirmet. *Quia (inquit) obedientia, quam illi præstant fideles, non tam causa est, cur suum erga eos amorem continuet quàm amoris effectus. Vnde enim fit, vt vocationi suæ respondeant, nisi quia Spiritu gratuite adoptionis aguntur?* Aduerte, lector, hominis imposturam, pariterque impietatem. Impostura hæc est, obedientiam mandatorum (tamen ille ab hoc verbo abhorreat, nec semel hoc loco nominet, Christi diserta verba & Euangeliũ erubescens) <sup>Obedientia mandatorum diuini amoris effectus est, tum causa.</sup> quia amoris diuini effectus est, idèd nõ esse causam cur amorem suum Deus continuet. At quis non videt etiam in humana amicitia beneficij accepti gratitudinem, & amoris impensum effectum esse, & eiusdem adhuc magis impendendi causam esse, quando qui beneficium impensum gratanter accepit, amicum prouocat, vt magis benefaciat? Sed vt in diuinæ dilectionis materia maneamus, in illo seruo bono & fideli cui dictum est, *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam,* nõnne serui fidelitas tum diuini amoris effectus, (ex Dei quippe gratia illa pauca accepit, ipsi quæ paucis fideliter vsus est) tum maioris amoris causa erat? Sic nimirum charitas mereretur augeri, vt aucta mereatur perfici. Bona opera sunt ex Spiritu gratiæ, & bonis operibus Spiritus gratiæ conseruatur. Præcepta seruantur ex dilectione Dei, & obseruatio præceptorum dilectionem Dei conseruat. De Sapientia dicitur. *Ne dimittas eam, & custodiet te; dilige eam, & conseruabit te.* Quòd quis non dimittit sapientiam quam nactus est, sed diligit eam, ipsius sapientiæ effectus est. At quum eadem sapientia suos dilectores cõseruat, conseruata sapientiæ causa eadem sapientia est. Corpus calidum calefacit

vestimenta quibus induitur, & induta vestimēta corporis calorem seruant. Hic vestimentorum calor & effectus est & causa corporis calidi. Frustra igitur & vafre Caluinus obedientiam mandatorum causam conseruatæ dilectionis Dei esse negat, quia eiusdem dilectionis effectus est.

Caluinus  
Christo cō-  
tradicit.

Hæc eius impostura est. Nunc impietatem vide. Christo apertè contradicit. Dicente enim Christo. *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea*, quod est apertè dicere, præceptorū meorum obseruatio causa erit, propter quam

Eccles. 15.

& per quam mea dilectio in vobis continuabitur, contra dicit Caluinus, affirmans, *obedientiam nostram non esse causam cur suum in nos amorem Deus continuet*. At & alia Scriptura hoc cum docere potuit, quia dicitur: *Si volueris mandata seruare, conseruabit te: vbi salutis nostræ custodia & firmitudo, mandatorum obseruationi, vt vni causæ ac medio, tribuitur.*

Obedien-  
tiam mā-  
datorum  
non esse  
necessariā  
suadet Cal-  
uinus.

Corrupta semel Christi sententia, & persuaso lectore obseruationem mandatorū nullam esse causam cōtinuatōris diuini, & efficacia ac virtute obedientiæ nostræ sublata, quia tamen supererat, saltem conditionis cuiusdam & necessitatis vim hæc verba continere, *Si præcepta mea seruaueritis*, nec hanc conditionem admittit Caluinus, sed Christi verba ab illo quoque sensu diuellere, & ea adhuc iterum corrumpere contendit. Mouet igitur aliam difficultatem. Sed videtur (inquit) nimis ardua conditio nobis imponi, vt Christi præcepta seruemus, quibus continetur exacta iustitia perfectior, qua modum nostrum longè superat. Nam inde conficitur, inuicem fore amorem Christi, nisi Angelica puritate præditi simus.

Obedien-  
tia perfe-  
cta qua  
fraude sin-  
gitur.

Hanc sibi difficultatem Caluinus mouet ex suæ hereticæ doctrinæ principiis. Ponit enim mandata Dei secundum exactam iustitiæ perfectionem, qua modum nostrum longè superat, obseruanda esse, idque ad eò, vt Angelica puritate præditi esse debeamus. Quo posito, quum Dei mandata omnino si obseruari non posse consequenter docuerit, concludit firmiter, ad eorum obseruationem neminem obligari. Qua in re perinde facit atque improbus aliquis & proteruus seruus, qui domini sui mandatum exequi nolens, illud sibi impossibile factu esse obmurmuret: quod ille seruus nequam in Euangelio, domini sui talenta in sudario abscondens, fecit, dicens

Luc. 19.

*Timui te, quia homo austerus es.* Timebat ad opus mandati admonere, quia rigidum exactorem Deum sibi fingebat.

Caluinus  
seruus ne-

(vt Caluinus hic loquitur) exactam illam iustitiæ perfectionem postularet, qua modum suum longè superaret. Nam & hoc signu

significat nequam iste & piger seruus adiciens, Tollis quod quam in  
 non posuisti, & metis ubi non seminasti: id est, tam rigidus ex- Euāgelio.  
 actor es, ut ubi non das auxilium, exigas lucrum; quod hu-  
 mana non potest infirmitas, hoc in præcepto ponas; denique  
 ut ab homine immundo Angelicam puritatem flagites. Hæc  
 est prorsus Caluini hoc loco oratio: hæc eius, quam sibi  
 proposuit, dubitatio, quam ille pro iusta & vera admittens,  
 vide quid respondeat. Solutio (inquit) facilis est. Nam quum  
 de studio recte sancteque viuendi agit Christus, quod in sua  
 doctrina præcipuum est caput minimè excludit, nempe de gra-  
 tuita iustitia imputatione, qua fit ut per indulgentiam venia  
 Deo placeant nostra officia, que mutila per se & impura reijci  
 merebantur. Censentur itaque fideles seruare Christi præcepta  
 quum huc suum studium applicant, etiam si longè à meta di-  
 stent, quia soluti sunt ab illo rigore legis, Maledictus omnis qui  
 non impleuerit omnia, &c. Hæc Caluinus hoc loco. Habe-  
 mus verborum Christi affectatam & studiosam corrupte-  
 lam, & pertinacia hæreticæ illustre exemplum. Disertis ver-  
 bis affirmavit Christus: Si præcepta mea seruaueritis, mane-  
 bitis in dilectione mea: & rem confirmat exemplo suo, Sicut  
 ego Patris mei præcepta seruauit, & maneo in dilectione eius.  
 Hic Caluinus primum cauillatur præceptorum obseruatio-  
 nem non esse causam cur in dilectione Dei maneamus, quia  
 est dilectionis diuinæ effectus. Deinde nec esse conditionem  
 necessariam seruare præcepta, quia seruari non possunt,  
 quemadmodum ea seruari Deus vult. Postea non debere hæc  
 Christi verba præiudicare gratuitæ iustitiæ imputationi, quæ  
 caput doctrinæ eius est: id est, non debere aperta Christi ver-  
 ba nouellæ Caluini & suorum imputatiuæ iustitiæ præiudi-  
 care, quam nec vlla Scriptura loquitur, nec ante hanc ætatem  
 Ecclesia audiuit. Ita suis placitis Christi verba subiicere, &  
 ad eorum sensum Christi verba inflectere, imò obrorto col-  
 lo contorquere Caluinus audet. An huic pertinaciæ & impie-  
 tati aliquid addi potest? Tandem ipsa Christi verba de textu  
 facto extrudit, & sua ipsorū loco in sublimi ponit Dixit Chri-  
 stus: Si præcepta mea seruaueritis. Non est ita dicendum, ait  
 Caluinus, sed hoc modo: Si ad seruanda præcepta mea studium  
 vestrum applicaueritis, etiam si longè à meta distetis, id est, etiā  
 si de facto nulla seruetis. Sic enim in Epistolam ad Rom. ho-  
 minem iustum in persona Pauli statuit, qui præsto quidem est,  
 suaq; membra exhibere studet ad præstandum Deo obsequium,  
 quia verò impar facultas est, non reperit quod optandum erat.

Christi  
 verborum  
 affectata  
 corruptela.

1.

2.

3.

4.

In Com-  
 ment. ad  
 Rom. cap.  
 7. ver. 19.

nempe boni desiderij effectum. Hęc ille ibi. Tamen hic, vt lecto-  
ri fucum faciat, illud longè à meta distare, alia ratione confir-  
mat, quia seruari nõ possunt omnia. Quia (inquit) soluti sumus  
ab illo rigore legis, Maledictus omnis qui non impleverit omnia,  
&c. Quorum verborũ germanum sensum, suo loco (vita co-  
mitem) docebimus. Stando igitur in hoc sensu, Christi verba, si

Verborum  
Christi re-  
formatio  
Caluinia-  
na.

præcepta mea seruaueritis iuxta Caluinũ sic reformanda sunt:  
Si ad seruanda præcepta mea studium applicaueritis, etiam si  
longè à meta disteris, id est, etiam si omnia seruare non possis,  
qua tamen omnia & quidem iuxta exactã iustitiã perfectionem  
seruari volo, manebitis in dilectione mea. An non hæc pulchra  
reformatio est & correctio egregia? Eius summa turpiter  
in alia consimili apparebit. Ponamus patrem ita filium allo-  
quentem: Si decem hæc mea præcepta perfeceris, id est, si ad  
ea perficienda aliquo studio incubueris, quia omnia te scio  
præstare nõ posse, & tamen omnia exactissimè præstari volo,  
manebis in iure hæreditatis paternæ: sin minus, excides ab  
eo. Quis non videt huiusmodi patrẽ filio suo illudere, & cum  
exhæredandi futilem occasionem querere? Quorsum enim  
præcipit seruare omnia, eaque exactissimè, qui neutrum fieri  
posse ne quidem cum auxilio paternæ gratiæ cognoscit? Aut  
quare seruati iubet, & non nisi studium seruandi intendit?  
Quod vt in causa præsentis quàm absurdum sit ostendam, hoc

Studium  
seruandi  
mandata  
inefficax  
refellitur.

dilemma Caluinistis propono: Hoc studium seruandi man-  
data, quod loco obseruationis realis, quã Scriptura loquitur  
adinuenistis, aut ex Deo est, & solius Dei opus in homine re-  
generato (vt de operibus gratiæ Caluinus semper loquitur)  
aut est opus ex solis naturæ viribus profectum. Si prius, quom-  
odolibet est absurdum Deum solum studium bene agendi in homine  
operari, non ipsas actiones bonas, ipsas tamen actiones in  
mandato ponere? Aut quid impedit quo minus actualẽ legi-  
s impletionem, eamque perfectissimã, Spiritus S. operetur  
in cordibus filiorum Dei, non secus quàm studiũ bene ope-  
randi, postquã, quicquid ab illis bene fit, ille solus totum ope-  
ratur? Imò qua æquitate hoc totũ in illis non operatur, post-  
quam hoc totum lex ipsius ab homine postulat? Si posterius  
tota igitur hominis regenerati renouatio, tota vitæ nouitas  
(nam in studio hoc bene agendi illa tota consistit) erit ope-  
merè humanum, & ex naturæ viribus profectum, non ope-  
gratiæ. Hoc dilemma soluat qui potest Caluinista. Iam verò  
si præcepta Christi seruare nihil aliud hoc loco significat,  
quàm studium applicare vt ea seruentur, quero an in sequen-  
tibus

Alia re-  
futatio.

tibus verbis, *Sicut ego Patris mei praecepta seruavi*, eadem quoque glossa sit admittenda. Si admittenda, ergo Christus Patris sui praecepta verè non seruauit, sed studium suum tantùm impendit vt ea seruaret. Si non admittenda, sed vt apertè blasphema penitus reprobanda est, quomodo ad sui exempli imitationem Discipulos suos Christus prouocat? Quæ similitudo, quæ inductio illa est, *Seruate vos sicut ego seruavi*, ego quidem verè, vos autem non verè? ego actu ipso, vos non nisi desiderio & studio, eoque inani? An quia similitudo ista per omnia æqualis non est, propterea nulla penitus est, aut propterea falsa est? Dixit paulò antè Christus: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos*. An quia dilectio nostra infra Christi dilectionem plurimum subsidit, propterea nostra nulla dilectio erit, sed studium quoddam & desiderium diligendi inane atque inefficax, veròque proximi odio admixtum, sicuti omnia regenerantium bona opera peccato admixta, *magisq; probrum quàm laudem perpetuò mereri, & peccatis magis quàm virtutibus accensenda*, alibi Caluinus affirmat? Sanè aut ita erit, aut hoc quoque in loco non seruandi studium à Caluino constitutum, sed ipsa mandatorum Christi vera & actualis obseruatio, qualem Christus circa Patris sui mandata exercuit, in his Christi verbis necessariò intelligenda est. Ita vndique Caluini impietas, impostura, pertinacia retunditur. Prolixius paulò huic loco incubui, quia ad impiam hodie hæreticorum de sola fide & imputatiua iustitia sententiam penitus profligandam, bonorùmque operum certam necessitatem & fructum amplissimum solidè stabiendum, illustris ac pernecessarius hic locus est.

*Institut. lib. 3. c. 17. num. 3.*

14. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego precipio vobis.*

Est hic alius & perspicuus locus, quo mandatorum Dei obseruatio medium esse quoddam ad Dei in nos amicitiam ac dilectionem conseruandam docetur. *Si feceritis quæ precipio (ait Christus) estis amici mei*. Mandata mea facere, maximè hoc mandatum meum *vt diligatis inuicem sicut dilexi vos*, (de eo enim in præcedentibus verbis loquutus fuerat) res est mihi tam grata, tam accepta, tanti apud me pretij ac momenti, vt hoc nomine inter amicos meos vos recenseam, & hac maxima dignitate vos afficiam.

*Mandatorum obedientia medium ad salutem necessarium.*

Sic Abraham offerens filium suum super altare, quod Deus ei præceperat, *amicus Dei appellatus est*, ut deducit D. Iacobus, & per multas tribulationes probatus, *Dei amicus effectus est*, dixit Sancta Iudith. Sic quia Moyses fecit ea quæ præcepit ei Deus, per multas quoque tribulationes probatus, *loquutus est ei Deus facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum*. Nec secus in Euangelio, *Dico vobis amicis meis, ne timeamini ab his qui occidunt corpus, &c.* Tanta enim & tam firma voluntate Dei præcepta facere, ut ne illa violentat, quoduis etiam capitis discrimen adire non vereantur, proprium est amicis Christi. Docet igitur & hæc sententia, mandatorum Dei observationem tantam vim habere, ut amicum Dei constituat, & eximiam ac stabilem Dei dilectionem conciliet. Amicum quippe esse, nec vulgarem nec leuem, sed præcellentem & constantem benevolentiam designat.

Sed hanc tantam obedientiam nostram & bonorum operum commendationem æquis oculis legere Caluinus non potuit. Quare sui veneni aliquid aspergendum censuit. Non intelligit (inquit) tantum nos honoris proprio aliquo merito consequi. At qui hæc ipsa Christi verba clarissimè sonant; nisi vel levare Dei præcepta opus proprium eius non sit qui ea servat, vel propter huiusmodi observationem in Dei amicitiam recipi, talis honoris meritum & præmium non designat: quorum neutrum nisi impudentissimè negari potest. Sed age. Si hoc non intelligit Christus, quid tandem intelligit? Tantum admonet (ait Caluinus) qua lege nos in gratiam recipiat, & conferre inter amicos suos dignetur, quemadmodum nuper dixit: *Si præcepta mea servaueritis, manebitis in dilectione mea*. At qui tam illa verba quæ nuper dixerat, nōsque latè tractauimus, quàm hæc præsentia, non id tantum docent, qua lege nos in amicos suos Deus censet; id est, non tantum seruandi præcepta necessitatem docent (quod vnum & solum contra Caluinum sufficit, qui necessitatem seruandi præcepta perpetuò negat, hoc tamen loco profiteri id velle videtur) sed hoc præcepta docent, mandatorum observationem medium esse vtile & efficax ad Dei in nos dilectionem continuandam, ut firmam nobiscum ac stabilem amicitiam Deus teneat.

*Obiectio.* Dixerit aliquis: Si observationis mandatorum saltem obrem & necessitatem Caluinus hoc loco agnoscit, non est tam exagitanda sententia; quando in eum sensum verba Christi verè & commodè exponi possint. Est quidem ita, ut solam necessitatem faciendi præcepta his Christi verbis significat

*Solutio.*

proba



probabiliter dici possit. Sed neque tota hæc Christi sententia est, ut iam explicuimus; nec Calvinus hoc ipsum quod dicere videtur, verè dicit. Non, inquam, verè agnoscit hac lege nos inter amicos Dei censeret si præcepta eius seruamus, tum quia ad superiora illa verba, *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea*, lectorem remittit, ubi quibus technis & imposturis vsus sit, & quomodo omnem hæc necessitatem seruandi mandata sustulerit, explicatum dedimus; tum quia in sequentibus ita prosequitur. *Apparuit enim gratia Seruatoris Dei, erudiens nos, ut abnegata impietate & mundanis desiderijs, castè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo. Profani autem homines, qui impio Euangelij contemptu aduersus Christum lasciuunt, eius amicitia renunciant.* Hic verba Apostoli opportunè sanè & appositè protulit; ut legem illam amicitia diuinæ probaret, seruare mandata Dei, castè, iustè, ac piè viuere. Sed clausula subsequens mentem Caluini sectatoribus eius talem aperuit, quæ omnem hanc sobriè, iustè, ac piè viuendi necessitatem iustulit. Ait enim *amicitia Dei renunciare, qui impio Euangelij contemptu aduersus Christum lasciuunt*; id est, qui facere mādāta impiè contemnunt, qui ad illud profundum venerunt, de quo Sapiens dixit, *Impius, quum in profundum venerit, contemnit.* Calvinus enim (ut in præcedenti sententia alijsque multis in locis tam ille docet quàm nos annorauimus) studium quidem & desiderium seruandi mandata agnoscit, & hoc homini regenerato sufficere vult (quia ipsa præcepta iuxta Dei voluntatem verè de facto, ut ille cenfer, impleri non possunt) ut aliquo semper studio obedientiæ ac reuerentia mandatorum Dei teneatur, nec legem contemnat, aut eius doctrinam repudiet. Propterea dixit: *Qui impio contemptu lasciuunt.* Non dixit, quod dicere debuit, *Qui mandata Dei transgrediuntur*, qui præcepta non seruant, quo dicendi modo Christus vsus est. Multi quippe absque contemptu Euangelij non obediunt Euangelio, qui videlicet, *concupiscentijs suis allesti & attracti, legem violant*, qui *remissas manus, & soluta genua habentes*, per negligentiam & oscitantiam, legem non seruant, qui denique per huius mundi cupiditates *verbum Euangelij suffocant.* Impius Euangelij contemptus profundum malorum est, quod multa alia mala, scelera, flagitia præcedunt, propter quæ amicitia Dei renunciatur, dicente Scriptura: *Qui vult amicus esse huius seculi, inimicus Dei constituitur.* Sed iuxta Calvinum præcepta Dei seruat, & amicus Dei est, qui studium bene agendi

Obedientia  
necessitatē  
visus doce  
re Calui-  
nus, nō do-  
cet.

Prover. 17.

Lex abs-  
que cōtē-  
ptu viola-  
tur.  
Iac. 1.  
Hab. 12.  
Luc. 8.

Iac. 4.

habet, & hoc solo Euangelij contemptu caret. Hæc eius hoc loco corruptela est, sic sententiam Christi saluberrimam & maxima consolatione plenam contaminavit.

16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.*

Voluntatis  
humana  
cum Dei  
gratia coo-  
peratio.

**T**axat hoc loco Catholicam doctrinam Calvinus de voluntatis humanæ ad suam salutem libera cooperatione, quasi illa cum gratuita Dei electione stare non posset. *Vulgo* (inquit) *mutuum quendam concursum fungunt diuina gratia & humana voluntatis. Sed ista antithesis, Ego vos elegi, non sum à vobis electus, in solidum vni Christo vendicat, quod inter ipsum & hominem partiri solent, ac si dictum esset, non sponte moueri hominem ad quærendum Christum, donec quæsitus fuerit.* Hoc vltimum quod Calvinus ponit, totam eius præcedentem cauillationem subuertit. Verissimum enim est, hominem non moueri ad quærendum Christum nec sponte, nec aliter, donec quæsitus à Christo fuerit, id est, donec Christi gratia eum præuenierit in benedictionibus. Et de hac præueniente gratia Christus dixit, *Nō vos me elegistis, sed ego elegi vos*, siue de vocatione ad Apostolatam (de qua proprie Christum loqui Calvinus ipse agnoscit) siue de communi piorum electione, qua in filios Dei adoptantur, hæc verba intelligas. Atqui in præuenienti gratia, quatenus præueniens est, humanæ voluntatis concursus non ponunt Catholici, eam in solidum soli Christo tribuunt: eam inter Christum & hominem non partiuntur. Quando autem hanc præuenientem & præoperantem gratiam homo accipit, vt quem Deus vocat, ille iustificetur, tunc sanè humana voluntas cum diuina gratia concurrat, & iustificatio ipsa, omnisque actus bonus credendi, sperandi, diligendi ab vtroque perficitur, à diuina gratia & voluntate humana. Totum hoc quod diximus, D. Augustinus gratuitæ electionis Dei assertor maximus, hæc ipsa Christi verba pertractans, luculenter docet. *Ipsi proculdubio Apostoli elegerunt Christum quando crediderunt in eum. Vnde non ob aliud dicit, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, quia non elegerunt eum vt eligeret eos, sed vt eligerent eum, ipse elegit eos: quia misericordia eius præuenit eos secundum gratiam, non secundum debitum.* Vtrumque docet Augustinus, tum ex præuenienti gratia Christum eos elegisse, vt solus Christus elegit, tum Apostolos postea Christum elegisse credendo in Christum. In quo actu credendi non solus Chi

De præ-  
dest. sanct.  
cap. 17.

Christus, solâve Dei gratia, sed ipsa quoque eorum libera voluntas concurrebat. Vnde in eodem opere scripsit Augu- *ibidem*  
stinus. *Virumque nostrum est (credere & bene operari) propter cap. 3.*  
*arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum est per spiri-*  
*tum fidei & charitatis.* Concursum igitur voluntatis hu-  
manæ cum diuina gratiâ Calvinus ex hoc loco vel Catho-  
licæ sententiæ ignarus imprudenter, vel eius bene conscius  
impudenter negavit.

## IN IOANNIS CAP. XVI.

2. *Absque Synagogis facient vos.*

**Q**UOD Apostolis Christus prædixit, fore ut à Scri-  
bis & Phariseis Synagogæ Iudaicæ præfectis è Sy-  
nagogis eiicerentur, & excommunicationis infamiam subirent, qua tamen iniuria nihil commo-  
ueri debeant; hoc Calvinus se ac suos ab Ecclesiæ Christia-  
næ Præpositis & pastos esse, & similiter contemnere debere  
arbitratus, longa oratione ad totius Ecclesiasticæ excom-  
municationis contemptum suos adhortatur. Quàm id ridi-  
culè ac præposterè faciat, paucis exponam. *Hinc (inquit) Stolidi*  
*colligimus, Euangelij ministros non tantum à professis fidei Caluini*  
*hostibus malè tractari, sed etiam summa ignominia interdum disputatio*  
*affici apud eos qui domestici Ecclesiæ videntur, imò etiam co- pro cõtem-*  
*lumna. Scriba & Sacerdotes, à quibus damnati fuerunt Apo- ptu excom-*  
*stoli, diuinitus se constitutos esse Ecclesiæ iudices iactabant, & municatio*  
*certè penes ipsos erat ordinarium Ecclesiæ regimen, & functio nis Ponti-*  
*iudicandi à Deo erat, non ab hominibus: verum sua tyranni- ficia.*  
*de totum ordinem à Deo institutum corruperant. Ita fiebat ut*  
*potestas, qua in adificationem illis concessa fuerat, nihil aliud*  
*esset quàm immanis seruatorum Dei oppressio: excommunicatio,*  
*qua medicina esse debuerat purganda Ecclesiæ, ad pietatem in-*  
*de exterminandam conuersa foret. Id quum iam suo seculo ex-*  
*periti fuerint Apostoli, non est quòd nos hodie magnopere terreât*  
*Papa anathemata, quibus in nos propter Euangelij testimoniũ*  
*fulminat. Neque enim timendum est ne plus nobis noceât quàm*  
*vetera illa Apostolis, imò nihil magis optandum quàm ut alieni*  
*simus ab eo cœtu à quo Christus exulat. Hæc ille. Pulchra &*  
*magna animaduersione digna miseris Calvinistis hæc Cal-*  
*uini oratio visa est. Vnde & hanc totam in Ecclesiasticam*